



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Q. 8. An Matrimonium est indissolubile quoad vinculum, seu translationem
Dominii?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

Q. 8. *An Matrimonium est indissolubile quoad vinculum, seu translationem Domini?*

Resp. Quodvis Matrimonium absolutè contractum, est & semper fuit, sine speciali licentia Dei, insolubile, exc. un. *de voto in 6.* & Trid. sess. 24. idque tum jure divino naturali; nam solubilitas vinculi repugnat finibus Matrimonii, qui sunt prolis conveniens generatio, ejusdem recta educatio, & arctissima inter conjuges animorum conjunctio. Et licèt non sit consummatum, ordinatur tamen ex se, ut consummetur & proles procreetur. Tam jure divino positivo, ex Matth. 19. ubi Christus Matrimonium ad suam primævam institutionem revocans, sic ait: *Qui fecit hominem ab initio, masculum & feminam fecit eos, & dixit, propter hoc dimittet homo patrem & Matrem, & adhaerebit uxori suae, & erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.*

Deus tamen quodlibet Matrimonium, et si consummatum, potest etiam quoad vinculum dissolvere tanquam supremus creaturarum omnium & jurium illarum Dominus, auferendo utrique conjugi dominium in corpus alterius, & suâ providentiâ impediendo incommoda inde sequi nata.

Resp. II. Matrimonium consummatum Baptistarum nullo casu dissolvi potest ab hominibus. Prob. 1. ex Matth. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* & Luc. 16. *Omnis qui mittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur,*

& 1. Cor. 7. *lis qui Matrimonio juncti sunt, precipio, non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere: quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat, &c.* 2. Ex perpetua praxi Ecclesie, quæ id nunquam permisit. 3. Ex Florent. in decreto de Sacrament. *Quamvis ex causa fornicationis liceat tori separationem facere, non tamen aliud Matrimonium contrahere fas est; cùm Matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum sit.* Et ex Trid. sess. 24. can. 5. & 7. Ratio est, quia hoc Matrimonium est signum perfectum conjunctionis Christi cum Ecclesia per Incarnationem, ex c. 5. de Bigam. quæ conjunctio est insolubilis, Verbum enim nunquam humanitatem assumptam dimittet. Porro absoluta illa insolubilitas est ex præcepto Christi addito Juri naturali. Nec obstat illud, Matth. 19. *Quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Nam sensus est: quicumque dimiserit uxorem, videlicet quoad torum & cohabitationem absolutè ac in perpetuum, nisi ob ejus fornicationem, mœchatur, hoc est, reus est mœchiæ alienæ, seu facit eam mœchari, ut habetur, Matth. 5. & qui aliam duxerit quacumque ex causa, mœchatur mœchiâ scilicet propriâ. Unde Christus duo ibi docet, nempe & propter solum adulterium dimissionem absolutè & in perpetuum quoad torum & cohabitationem fieri posse per se & ex vi contractûs Matrimonii, & factâ tali dimissione non posse
 iniuri

iniri novum Matrimonium vivente conjuge: nam Christus ipse ea, quæ hîc obscure dixerat, ad vitandas interrogantium calumnias, alibi discipulis clarè exponit nempe, Matth. 5. *Qui dimiserit uxorem suam, exceptâ fornicationis causa, facit eam mœcham. & Marc. 10. Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam.*

Nihilominus Christus satisfecit interrogationi factæ de dimissione quoad vinculum; nam cum dimissio quoad vinculum includat potestatem dimittendi unam, & ducendi alteram, Christus has duas dimissiones se jungens, priorem concessit posteriore negatâ, prioremque dimissionem absolutam ac perpetuam & vi contractûs Matrimonii factam restrinxit ad solam fornicationem seu adulterium. Porro ad consummationem requiritur copula, ex qua sequi possit generatio, ideòque seminatio in vas naturale mulieris.

R. sp. III. Matrimonium infidelium non dissolvitur hoc ipso, quòd unus conjugum ad fidem convertitur, altero remanente in infidelitate, cum fuerit validum, etiamsi contractum sit in gradu ab Ecclesia prohibito: quia infideles non subjiciuntur legibus Ecclesiæ. At ex Dei dispensatione in favorem Religionis christianæ concessa, conjux fidelis habet jus dissolvendi illud etsi consummatum, & contrahendi aliud, si infidelis nolit ei cohabitare, vel si velit quidem cohabitare, sed non sine creatoris injuria Christum blasphemando, Religio-

gionem christianam contemnendo, vel si non patiatur fidelem christianè vivere, aut ad infidelitatem aliudve peccatum inducat. Patet ex c. *quanto*. de *divort.* & ex I. Cor. 7. *Quod si infidelis discedit, discedat; non enim servituti subiectus est Frater aut Soror in huiusmodi.* Dissolvitur autem per aliud Matrimonium conversi ad fidem. Quòd si conversus non ineat aliud Matrimonium, non potest infidelis aliud contrahere: quia dissolubilitas est solùm concessa in gratiam fidei.

Imò multi docent Matrimonium infidelis ad fidem conversi dissolvi posse, si alter converti nolit, quamvis velit cohabitare pacificè, ex c. *Judei*, & c. *Sapè*. 28. q. 1. Si verò uterque infidelis conjugatus baptizetur, eorum Matrimonium fit ratum per Baptismum; nam hoc ipso quòd tales communi consensu baptizantur, dant signum externum, quòd consentiant in Matrimonium præcedens, ut juxta Christi institutionem sit insolubile: & si consummatur post Baptismum, fit absolutè indissolubile.

Resp. IV. Matrimonium Baptizatorum ratum, sed non consummatum dissolvitur in duobus casibus. I. Per Professionem solemnem in Religione approbata, ex c. *verum*, & c. *ex publico*, de *convers. conjug.* & ex Trident. sess. 24. can. 6. quia hæc conditio (nisi Religionem profitear ante consummationem) jure saltem Ecclesiastica apposta est contractui Matrimonii, in favorem boni communis, cui persona privata cedere nequit. Dum autem

tem

tem unus conjugum Religionem ingressus est, alter non potest cum altero contrahere; nisi post Professionem prioris, cum per hanc so- lam dissolvatur Matrimonium.

Not. Conjugibus ante consummationem conceduntur duo menses ad deliberandum de Religione suscipienda, ex c. *ex publico* cit. intra quod tempus conjux cogitans de Religione non tenetur consummare, nec potest sine iniuria ad id cogi. Sed hoc exacto tenetur mu- tuo reddere debitum, si exigatur ab altero. Tamen quamdiu Matrimonium non est con- summatum, tamdiu liberum est conjugibus Religionem ingredi; & uno proficiente potest alter ad alias nuptias transire, ex c. *verum* cit. Secus, si Matrimonium consummeretur, etiam per vim & primo mense.

2. Ex Canonistis & Theologis plurimis dis- solvitur per auctoritatem Papæ, qui tanquam supremus Vicarius Dei potest, ob causam val- de gravem & publicam, solvere tale Matri- monium.

Prob. 1. Ex facto plurium Pontificum, qui in hoc dispensarunt, ut Martini V. & Eugen. IV. teste S. Antonin. 3. p. Tit. 1. c. 21. c. 3. Pii II. & Pii IV. teste Navarro, Gregor. XIII. teste Præposito, & Clementis VIII. & Urbani VIII. teste Conrado &c. 2. Quia cum possit Papa dispensare in Professione Religiosa, per quam dirimitur Matrimonium ratum, cur non possit in Matrimonio ipso rato? 3. Talis potestas expedit bono Ecclesiæ & saluti animarum. At
Chri-

Christus dedit suo Vicario omnem potestatem, quæ bono Ecclesiæ & saluti animarum expediret.

Nec obstat illud Christi, *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Math. 19. quia hæc verba spectant Matrimonium consummatum, quo solo conjuges fiunt una caro, ut docet Alex. III. c. *ex publico.* Unde Matrimonium est quidem insolubile, sed ab ipsis contrahentibus, & potestate merè humanâ, qualis non est hæc potestas Papæ, qui non dissolvit illud ut homo, sed ut Vicarius Christi, & ejus dispensator: quippe cum Matrimonium ratum sit duntaxat signum unionis Christi cum Ecclesia per charitatem, quæ in multis justis dissolvitur, non debet esse ita insolubile sicut consummatum, quod est signum unionis Christi cum Ecclesia per carnis assumptionem, quæ nunquam dissolvitur, c. *debitum.* de Bigam.

Q. 9. An & quando licitum est divorcium, seu separatio conjugum, quoad torum duntaxat & habitationem, manente vinculo conjugali?

Resp. Ob varias causas licitè fieri potest, ex Trident. sess. 24. can. 8. & ex jure Canonico, Tit. *de divortis.*

1. Quidem licitè fit in perpetuum ob alterius conjugis fornicationem, per quam intelligitur non solum adulterium, sed etiam omnis illicitus concubitus cum alio supposito, ut incestus, sodomia, bestialitas; his enim criminibus